DISCEPTATIO INAUGURALIS MEDICO-PHILOSOPHICA COMMENDANS...

Giuseppe Leonida Podrecca



OPUSCOLI

RACCOLTI DALL' ABATE

DOMENICO CAPRETTA

DI

CENEDA

Volume 221



Schedate n.i 1 – 10, 12 – 14, 16 – 23, 25 – 33

DISCEPTATIO INAUGURALIS

MEDICO-PHILOSOPHICA

COMMENDANS

SENSUUM EXTERNORUM EXERCITIUM MEDICO-PRACTICO

SUMME NECESSARIUM

QUAM AD LAUREAM MEDICAM

IN ANTIQ. CELEB. UNIVERSITATE PATAVINA

RITE CAPESCENDAM PUBBLICI JURIS FECIT

JOSEPH LEO. PODRECCA

EX SANCTI PETRI SCLABONIORUM OPIDO

DIE V NOVEMBRIS AN. MDCCCXXVII



PATAVII

TYPIS CRESCINIANIS

MDCCCXXVII

Nil in intellectu, quod prius non fuerit in sensibus.

Aristot.

Nec Medici.... quamvis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi.

Cicero.

PRAECLARISSIMO VIRO

GASPARI FEDRIGO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI

P. P. O.

CLINICAE MEDICAE CIVILIS PRO CHIRURGIS, CLINICAM MEDICAM, ET THERAPIAM SPECIALEM SUPPLENTI IN I. R. UNIVERSITATE PATAVINA, CIRCULI MEDICI PARISIENSIS, EXTERNO ATHAENEI VENETI, ACTIVO ACCADEMIAE SCIENTIARUM, REI LITTERARIAE, ATQUE ARTIUM, TARVISINI ATHAENAEI, FACULTATIS MEDICAE PATAVINAE SODALI ETC. ETC.

AUCTOR

D. D. D.

Quamquam omnium saecurissima est diagnosis ex causis morborum dessumpta, atque dispositione, nam optime ducit ad notitiam naturae, et indolis effectuum, qui morbum constituunt; nilosetius neque sufficit novisse morbi naturam, sed formam quoque respicere oportet. Forma vero ex symptomatibus innotescit, symptomata ope sensuum externorum primitus examinantur. Ergo ad rectam diagnosim instituendam, candidum sensuum exercitium, eorumque scrutinium exactissimum summopere requiri patet. Porro quot sunt morbi, quorum formam vix at ne vix quidem cognoscimus, naturam omnino ignoramus? De hoc exemplum habemus in diabete, chancro, et fungo Emathodes ec.

Unde vero horum diagnosim hauriamus, si non ex sensuum externorum indagine, eorumque examine iterumque instituto? Si autem arduum est objecta percipere, quae sub sensibus cadunt, eo magis arduum est ea perbene distinguere. Interdum hoc evenit, quia necessaria sagacitas nobis deest, et interdum ob attentionis deffectum. In Medicina hujus sagacitatis, et attentionis usus, in habilitate unum ab alio morbo ope exactae cognitionis symptomatum distinguendi consistit; cognitio, et habilitas, quae longa experientia, et observatione adhipiscitur. Sagacitas est donum naturale, attentio autem est nostrae voluntatis effectus. Hinc eo magis, quo Medicus caute observabit Symptomata morborum; ipse ea facilius di-

stinguet, nec ataxias et adinamias cum phlogosibus, nec primum stadium inflammationis cum secundo vel relaxationis, nec tandem debilitatem directam cum indirecta, nec veram cum falsa confundet. Perspicuum hujus erroris exemplum in oculorum inflammatione nobis est, ubi si incautus Medicus, cessato Morbi stadio acuto, vellet in methodo antiphlogistica persequi, aegrotum suum deteriorare videret, et acutam inflamationem in chronicam converti. Hinc conseguens est, quia Medicina Hyppocratica observationibus tantum innixa, constanter praejuditiis omnibus restitit, dum ipotheticae theoriae, et systemata usquedum vix apparuere, ut statim locum aliis cederent. Revera, quemadmodum reactio organismi diversa sit ex individualitate subjecti morbi affecti derivanda, morbum quoque ex momentis hisce prodeuntem differre quidquam est necesse. Ergo quamquam morbi naturam eandem cognoscamus, ejus tamen formam quidquam alienam in omni fere individuo animadvertemus; quod vero innotescet discrimen, ex cautissimo examine sensuum externorum ope facilitato, ergo sensuum externorum exercitium quam maxime pernecessarium.

Et si nunc ex sensibus externis, minus a Neotericis exercitatis, cultisque, non ille fructus, qui olim habebatur redundat, magni tamen eorum operationes momenti ab omnibus cognoscuntur, qui fidis observationibus, et experientiae in Medicina auctoritatem suam non denegant: quod, illi soli negabunt, qui nova creare systemata malunt, vel saltem ipsorum defendere partes; sicque magis tempus perdere, quam observationibus ad maximorum Medicorum exemplum inhaerere. Cum autem mutationes organicae internae symptomatibus sese manifesteut; haec vero manife-

statio persaepe sensibus solum variis possit percipi; porro, cum observatio, et experientia juxta clariss. practicorum effata ad praxim felicem magis conducant, ac teoriae sagacissimae, iphoteses ingeniosissimae ad illas vero faciendas rite et exacte sensuum externorum indoles proba requiratur; horum exercitium commendans, horumque virtutem ad astra ferens nil absonum me esse prędicaturum, confido. Cujus ego rei gravitate prehensus de sensuum externorum usu, et exercitio, medico practico summe necessario, peculiariter sum acturus.

Et primum sensus externi simul inquirunt etiam in id, quod extra, et circa aegrotum est, haud raro et in id, quod morbo ansam, praebuit, nec non quod ad datum morbum aliquam rationem habet. Vident oculi ex. gr. aegro externe adplicita, et adjacentia nocua vario modo. Nares sentiunt exalationes rerum circumdantium aegrum, et sic dicendum est de reliquis sensibus, nam conditiones eorum, quae extra aegrum sunt, cibi nempe, potus, medicamina ec. explorant. Ideo jure meritoque Boëravius adcuratissimam observationem earum adparitionum, quae in homine sano, aegroto, moriente, et mortui cadavere sensibus externis adparent; et interprima pratici Medici requisita, felicem sensuum externorum integritatem, ac frequentationem commendat. Sensus externi, inquit Hyldebrandius, colligunt prima data pro omni observatione, et experientia futura; et experientia vera est cognitio veritatum ope sensuum observatarum cum prudenti earum in utilem finem aplicandi modo. Adsunt certe nonnulla symptomata, quae sensus externos fugiunt, aut erronea percipiuntur, sed tunc ratiocinio semper unita detegere aut

corrigere spectat; nam medicum omni ex parte eruditum esse oportet; et enim Medicus, ut inquit *Hartmannus*, non solum subtili ingenio, et virtutibus omnibus socialibus excellet; sed etiam sensuum externorum acumine superiori praeditus innotescet. Ergo sensuum externorum utilitatem in Medicina practica nemo in dubium vocabit. Agam vero nunc singillatim de sensibus singulis, eorumque utilitate, medico practico non nihil facienda.

DE VISU

Oculi vident, et explorant medicinas, aegri phisiognomiam, decumbendi rationem, linguae, respirationis, excretionum conditiones, cutis colorem, exantemata, vulnera, ulcera etc. aliquoties causas nescit Medicus, sed eas visu detegit, ut in scorbuticis, syphilliticis, gravidis, et verminatione affectibus. Porro videt icterum, urinas albas et perspicuas mali presagii in phreniticis; urinam nigricantem, et mali odoris in mortis periculo, parcam in renis obstructione, magna copia in diabete, excolorem, et tenuem in hypocondriacis, hystericis, et animi pathematibus: In morbis vero acutis apparens tale lotium coctionis, et criseos impedimentum offendit, et inflammationes periculosas, deliria, gangrenas, convulsiones, et mortem persaepe annunciat. Lotium vero tenue, rubrum, diaphanum, absque sedimento, coctionem tardam, et crisin valde dubiam indicat, unde pessimi presagii erit semper in morbis acutis: lotium crassum, albicans cum sedimento crasso, et cum doloris sensu excreto, juxta Celsum, articulorum viscerumque dolores, denotat. Et pariter viscerum dolorem, tumoremque,

ex urina viridi declaravit. Lotium, colore obscuro croceo tinctum, in ictero invenitur. Preterea pinguis, et oleosa quasi cum lotio excreta materia, si aliquando adparet ex sanguinis nimio motu diu subsistente, et pinguedinem solvente exorta atrophiam, et phthisim inde orituram, significat. Caeterum urina turbata illa jumentorum instar, aut cerevisiae corruptae similis, capitis dolores prodere, testatur Hyppocrates, qui, et nubeculam rubellam in lotio haerrentem crisin subsecuturam in morbis denunciare affirmat (*Hyppo.*). Si urinas arenosas calculos, si rubram, calidam inflammationes; tandem si sanguineas, et purulentas videt, exulcerationem, et supurationem in vescica prędicere poterit. Porro, si Medicus videt post phlebotomiam celebratam cruoris partem serosam quasi suffocare, et gelatinae instar concretam, secretionum perturbationes, cruoris in minimis vasculis accumulationes, inflammatorias stases, et febres inde exortas, vasorum dilatationes, et rupturas, unde narium, uteri, pulmonis etc. haemorragiae eveniunt (*Quarin*). Ubi cruori seu rubicundae portioni inātat materia ex flavo albescens admodum tenax, vel quae pellis instar cruorem undique tegit, febris cujusdam inflammatoriae praesertim de corpore indicat (*Eller*). Sanguis dilutus non valde cohaerens, in junioribus cacochymicis haemorragias, emophtises; in aetate vero provectioribus rheumatismos, vagasque arthritides, excitat. Si pituitosum serum multa flavedine scatens biliosa, cruorem tegit, jecur visceraque chylopojetica labefactata indicat. Cruor compactus, et ater in maniacis videtur (*Brera*). Ater sanguis, crassus, et in grummos collectus, sero muriatico perfusus, et in superficie muco flavo-viridi tectus in scorbuticis offendi-

tur. Sanguis vero tenuis, grumosus, parum concrescens in febribus ardentibus, putridis, contagiosis, summeque periculosis, conspicitur. Tandem sanguis e vena eductus valde dilutus, cujus pars seroso-lymphatica, cruorem tenuem rubicundum copia, valde superat, leucophlegmatiam, et hydropis species varias annunciat (*Eller.*). Notandum vero, quod hisce in omnibus casibus, haec tota variare possunt ob aetatem, temperamentum, sexsum, vitae genus, corporis habitum, pathemata, et anni tempestatem etc. Preterea Medicus expers inveniet nasum affilatum, genas rubras, et cutim dilicatam in phthisicis; cutim ceream in clorosi, flavescentem quidquam in ventri obstrutionibus, albam lucentem in hydropicis anassarcaticis, rubramque in phlogosibus, et exantematibus. Porro cutis rubra, tumida, calida in juvenibus haemorragias, in senibus autem apoplexiam denotat (*Hyppo.*): et tandem si lurida adparet in morbis faebrilibus, mali est pressagii.

Labia possunt esse aut contractae ut in doloribus et anxietate; pendentes in vomitu critico, in apoplexia, atque hypostenia; turgidae in scrophulis: lividae in affectionibus cordis (*Laennec*): siccae, nigrae in tipho, et morbis laethalibus. Oculi sunt rubri in febribus perniciosis apoplcticis; lividi in canchrena; et si alter altero minor apparet perniciosum est (*Hyppo.*). Hoc dicatur de strabismo. Palpebrae lividae et apertae in somno, malum: clausae autem sunt in verminatione, idrocephalo, apoplexia, et epilepessia. Denique albuginea plumbea in pituitosis, et verminosis, flava in ictero invenitur. Porro videt oculum lacrymosum, et faciem languidam, stupidamque in febribus nervosis gravissimis; linguam punticulatam

in verminatione, sordidam in gastricismo, mobilem in delirio trementi potatorum, nec non in morbis convulsivis: siccam aridam, et rubram in inflammationibus: piceam et nigram in morte proxima (*Hyppo.*). Tandem perspiciet delirium malum, aut convulsionem post sanguinis fluxum (*Stoll*). Porro oculi, faciesque rubra, et turgida epistaxim indicat. Videt ungues sub frigore febrili lividas, sub uteri inflammatione rubentes, in exaustis pallentes, in phthisi exiccatas et aduncas, molles in chlorosi. Distinguet sputa flavo-virida, soluta, et faetida in pulmonum gangrena, et ulcere, nigra, fulliginosa in mortis periculo, sputa cruenta, subputrida, biliosa in hepaticis, tenuia aquosa, mucosa spumosa, tenacia etc. in aliis pulmonum morbis. Distinguet pus in aqua emissum a materie mucoso-pituitosa, ob pondus, et facile ejus solutionem, nec confundet pus aut mucum, cum buttyro per vomitum emisso; ut practicis summis pervenit (*Della Bona*). Pariter escretiones fecales videt biliosas, purulentas in aliqua metasthasi, chymosas in lientheria, sanguineas in disenteria, albas in ictero, nigras et foetidas in viarum gastro-entericarum gangrena, tandem vermibus comitata inverminatione. Porro materies vomitus ejecta, erit mox biliosa, putrida porracea, nigra eruginosa, in mortis periculo (*Hyppo.*); mox sanguinolenta, verminosa, pituitosa, aut aquosa in ernia intercepta. Quid domum dicam de exantematibus, et impetiginibus, quorum formam ex visu quam frequentissime examinatur, quorum ergo diagnosis huic adparatu debemus? Quae cum ita sint, an quis credet posse Medicum esse perfectum qui sensu hoc subtilissimo, et nobilissimo destituitur? An non diagnosim solus haud raro statuit? An non prognosim

eo solo juvante certam pronunciamus? An non ergo Medicus huic sensui progressus suos practicos in gratiis habet referendos? An non itaque eorum exercitium magis magisque semper perficiendum, comendari meretur? Profecto multa de hoc solo essent agenda, sed rem saltem innuere non pertractare in me suscepi. Transeo itaque ad reliquos.

DE ODORATU

Quoad hunc sensum, Medicus odorat medicinas, easque distinguit; ut ex. gr. arsenicum a sacharo, propter aliaceum odorem, quem primus accensus exalat. Praesentiam balsami Copaivae, vel asparagorum ob violarum odorem percipit in urinis. Agnoscit alitum phoetidum in febribus malignis, verminosum in verminatione, peculiarem in scorbuticis, phthisicis, et mulieribus menstruantibus. Porro sputa nunc adsunt inodora, nunc foetida, et putrida, ut in pulmonum gangraena, vel ulcere; faeces sunt inodorae, faetentiae vel nidorose; odor cutis et sudor fetens frigidiusculus in morbis periculosis (*Hyppo.*). Nares tandem sentiunt omnes odores, foetores, oris, lotii, alvi, sudoris etc. Et fuere medici, qui non viso aegro, ex solo odore genus exanthematum determinarunt, variolas, miliaria etc. (*Vansvietten*).

DE GUSTU

Etiam gustu plura dignoscuntur, ad lectos aegrorum: et primum Medicamina adsumenda et jamjam parata exploranda quotidie sunt visu, olfactu, et gustu: nam persaepe ex pharmacopolii erroribus pergrave aegro

periculum accederet, nisi Medici gustu error detectus emendaretur; quare maximum ornamentum est medico promptitudo, ac quidam habitus in medicaminibus tum praescribendis, tum sceligendis. Sed et tales fuerunt Medici, qui alvum, ichores, urinas salsas metallicas in hydrargirosi, amaras, rancidas, purulentas in renum, et vescicae supūratione etc. Et sputa salsa in catharro, dulcia in emophthisi, et phtisi, acria in irritationibus, sulfurosa in morborum declinatione etc. degustarunt (*Brera*). Porro an in diabete determinando, an insipidus sit, vel mellitus, trutinam non aliam habemus nisi gustum, sed quemadmodum sensus hic, qui nobilitate omnibus reliquis est inferior, sensus quem dicerem omnino, et solum animalem, sic ex operationibus illius in arte nostra celesti, et divina praegrande subsidium perperam expectamus, nilominus cum influxus unius in alium sit nonnullus, hujus quoque exercitium, hujusque perfectio reliquorum exercitium, et perfectionem facilitabit, inde Medico hoc quoque erit comēndandum. Si de aliis taceam, an Medicus, saluti publicae invigilans, cui examen, et inquisitio pharmacopolii, diversorum ciborum praeparatorum etc. est assignata, an hoc sensu minus perfecto, officio suo debito fungi poterit? Non itaque, et hujus sensus exercitium floctii est pendendum.

DE AUDITU

Auribus astma, ventris meteorismus, tympanites, borborigmata, et tormina ut in crisi per vias gastroentericas ab alius generis expansione dignoscitur. Percipitur respiratio gravis, clangosa, stertorosa, et laboriosa in pulmonum emphisemate, suffocativa, in-

termittens, inaequalis, anxia, oppressiva, suspirosa; frigida, et singultu comitata, in morbis laethalibus. Tussis trachealis, laringea, pulmonalis, et humida in crisibus per sputa. Respiratio magna, et ex longis intervallis, in delirio superveniente. Porro, ope sthetoscopio clar. Laennec, vel percussione toracica cel. Avembruger, morbi pulmonum, et praesertim enphisema, exulceratio, hydrops auribus percipiuntur. Quibus in casibus, praeter dispneam, et tussim in loco affecto persentitur de tempore in tempore laevis quidam rantulus sibilans; et si tumor magnus sit, ut ovum, sthetoscopium ejus praesentiam indicat, cum non sit possibilis respiratio ubi ipse existit. Cum autem tuberculorum supuratio cavitati ulcerosae originem praebuit, in punctis pectoris corrispondentibus perfecte respiratio dignoscitur, et ipsa est intelligibilior, quo magis est extensa cavitas ulcerosa, quamquam hae partes, percussione, surde sonant (*Kreissig*). Preterea in morbis organicis cordis, tum circulationis, tum respirationis perturbationes, et reapse dispnea, anxietas, tussis, pectoris oppressio, rantulus, et accessus, qui suffucationem minantur, adsunt. Hinc facile asthma chronicum per vitium cordis a continua dispnea, et asthma spasmodicum ab accessibus suffucationis Medicus distinguet. Rantulus affectionum cordis proprius, ab originem habente ex compressione tracheae distinguitur, quia hic in laringe ressidet. Accessus anginae ex brevitate, velocitate, et dolore sub sterno dignoscuntur. Perspiciet affectionem organicam, quum repertinae, et brevi respirationi, palpitationes apparent; eo magis si a strepitu, aquae ebullienti simili, a cordis tremoribus, a sibilo, stertore, palpitationibus, et deliquio con-

comitata est. Denique anxietatem affectionum pectoris ab illa distinguet, quae a systemate nervoso, vel abdominalibus vitiis exurgit; et quoad primam ipsa tam cordis quam pulmonum ad simplicem spiritus oppressionem reducitur (*Kreissig*).

DE TACTU

Tactus denique arteriarum, et cordis pulsum examinat, linguae ac cutis conditiones, corporis calorem, et frigus. Porro aegro tranquillo jacente, utraque dein manu, pressis quasi erga se invicem visceribus, partes tentantur; ibique Medicus expers meteorismum, obstructiones, hydropes, indurationes, et gravidantias extrauterinas feliciter distinguit. Noscit nasum ardentem, et calorem cutis mordacem in pulmonum ganghrena, et phthisicis (*Federigo*); linguam, et cutim siccam, aridam, glabram in inflammationibus; mollem, calidam, humidam in crisibus per sudorem; percipit sarcocelem ab hydrocele, nec aneurisma cum fungo Ematodes confundet: sic agnoscit haepatis abscessum a fluctuatione et mollitie, calculum a duritie et resistentia. Porro sudorem frigidiusculum, viscidum, frigusque marmoreum partiale vel universale laethale percipit in morbis (*Hyppo.*). Sed hoc in casu caute agatur, ne calidior Medici manus mediocrem aegri calorem frigus habeat. Denique pro variis pulsibus varias praedicere poterit mutationes; sed hoc in examine quemadmodum in reliquis, pathematibus, sexu, aetati, vitae generi, annique tempori etc. respectum habere oportet. Et ideo pulsus sincronos, innormales, intermittentes in organicis cordis affectionibus; parvos, depressos, et fre-

quentes in pulmonum exulceratione, et gangrena perspiciet (*Federigo*). Si pulsus debilis, parvus, et rarus constrictionem cordis minus validam manifestat, inde functiones viscerum debilitate earumque secretiones, et excretiones imminutae deprehenduntur (*Eller*). Hoc in cacochymicis, et leucophlegmaticis experimur. Pulsus magnus, et durus vasa plena, secretiones interruptas dessignat, ut in febribus cum phlogosi stipatis plerumque occurrit. Pulsus parvus, et durus, cruoris massa defficiente, obstructiones ejusmodi inflammatorias, non raro in peripneumonia occurrit, ubi magna cruoris pars intra pulmones inflammatos remoram patitur fatalem, quare periculosus semper habendus, imo periculosissimus pulsus ejusmodi dijudicandus, si simul inaequalis, vel intermittens, debilis, et durus deprehenditur. Tandem pulsus dicrotus per nares, et undosus per sudorem crisim evenire indicat (*Hyppo.*).

Quae nunc igitur adduxi, medico cognoscenda ad dignosim exactam persaepe statuendam, ad prognosim rite definiendam, non omni numero absolvi; labor arduus, vires juveniles exigui: essetque argumentum Medico practico dignissimum, quod elucubrandum suscepi: attamen quamquam perexigua, et parum sint perfecta, quae percepisti, lector benevole, nilosetius, pauca haec propositionis meae veritatem comprobabunt. Ergo sensuum externorum exercitium utilissimum comendabunt. Preterea utut summe arduum negotium sit a symptomatibus ad naturam morbi adscendere, numquam tamen eorum considerationem vilipendere, praecipue summarium omnium simul complexum, negligere decet. Nam symptomata morbi sunt partes, quae omnes simul sumptae totam

scilicet morbi formam constituunt; sunt effectus a quorum contemplatione casto ratiocinio ad naturam saepe incognitam concludere licet; sunt tandem phoenomena, quorum empirica consideratio, analogico argumento, ad similium dissimiliumque morborum cognitionem, proinde ad aliqualem diagnosin, atque prognosin conducit. Profecto magni est eorum exercitium momenti, et magni esse debet. An non, et experientia quotidiana comprobat, Medicos, qui sensibus gaudent magis perfectis, practicos quoque feliciores reputari? An non Medicis senioribus, major tribuitur auctoritas, et fiducia, eaque merito tribuitur ac junioribus, quippe qui sensuum externorum usu quotidiano munitis ex horum acumine et exercitio quotidiano subtiliori, et magis perfecto praegrandia repetunt subsidia in aegris tractandis; diagnosis enim facilior, et certior eis evadit, inde terapia securior, validior, magisque conveniens; eventus hinc frequentius optatus, inde medici auctoritas in dies increscens. Quod si vero, et hisce pressidiis malum avertere non valuerit, horum tamen sensuum exercitio, futura quasi praesagiens, et non avertenda, re etiam male cedente, nullum auctoritatis suae habebit decrementum. Quae hinc innui, utinam, cui otium conceditur, ita pertractaret, ut rei gravitas sibi omnino vindicare, videtur.

THESES

I.

In morbis pectoris organicis diagnosis ope sensuum externorum dessumpta, certior illa ex causis, atque dispositione.

II.

In morbis uterinis diagnosis ope tactu petita, securior reliquis.

III.

Medicis senioribus sensuum externorum acumine, exercitio firmato praeditis, in praxi major fides est tribuenda.

